



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

DCI. Herzog Otto Braunschweig verpflichtet sich Könige Ludwig und
seinem Sohne Ludwig, Markgrafen von Braunschweig, zum Beistande
namentlich in der Mark Brandenburg, erhält die Altmärkischen ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

Urkunden

aus der

Regierungszeit der Markgrafen des Bayerischen Hauses.

DCL. Herzog Otto von Braunschweig verpflichtet sich dem Könige Ludwig und seinem Sohne Ludwig, Markgrafen von Brandenburg, zum Beistande namentlich in der Mark Brandenburg, erhält die Altmarkischen Besitzungen seiner Gattin Agnes auf Lebenszeit verschrieben, und diese verzichtet auf Rathenow, Berlin und die übrigen Städte, welche Herzog Rudolph von Sachsen und Herr Heinrich von Mecklenburg inne hatten, am 4. Mai 1323.

Dei Gratia Nos Otto, Dux in Brunswich, ad vniuersorum noticiam volumus peruenire, Quod Serenissimus Princeps Dominus Ludovicus, Romanorum Rex semper Augustus, volens nobis iusticiam nostram seruare, et circa nobis debita ab ipso et imperio, affectum beniuolum exhibere, nobis presentibus, requirentibus et cum instancia petentibus, phecoda nostra recta et legalia, que ab ipso et sacro Imperio tenemus et nostri progenitores hactenus tenuerunt, nobis contulit, ac de ipsis sollempniter nos inuestiuit, more, qui consuevit in talibus obseruari, recipiens a nobis fidelitatis et homagii sacramentum, quod sibi corporaliter prestitimus in presencia Principum, magnatum et fidelium Imperii, qui fuerant tunc presentes. Et sub eodem iuramento et extra hoc sollempni promisso fide data nos altrinximus et obligauimus ad iuuandum ipsum Dominum nostrum Regem ac illustrem Principem Lodouicum, Marchionem Brandenburgensem, et astandum ipsis fideliter contra omnem hominem perpetuo, magnifico Principe Domino Ottone Duce Luneburgensi et ipsius filii, patris nostris Karissimis, duntaxat exceptis; et cooperandum ipsis efficaciter per effectum in dicta Marchia Brandeburgensi cum omni posse et virtute nostra ad omnem locum et omni modo, sicut fuerit oportunun; extra Marchiam vero iuxta nostri decenciam, et sicut ipsis necessitas ingruerit nostrum auxilium et obsequium deposcendi. Similiter Dominus noster Rex et Marchio antedicti nos iuuabunt, nobisque astabunt et cooperabuntur contra omnem hominem fideliter et efficaciter, nobis aduersari et iniurari volentem, sicut nobis idem Dominus noster Rex pro se et dicto Marchione, suo filio, promisit bona fide. Et vt nos per fidem deuotionis et promptitudinis suis et sacri Imperii obsequiis amplius obliget, nobis dono concessit gracie specialis, quod opida Tangermunde cum castro, Stendal, Gar-

deleghe, Osterburch, Soltwedele cum castro, cum terris, iudiciis, theoloneis, monetis ac vniuersis pertinentiis et iuribus suis, que inclita Agnes, conthoralis nostra Karissima, nunc tenet iure proprietario, post decessum eiusdem nos simili iure proprietario tenere debemus, per omnia tempora vite nostre, et dictorum castrorum et opidorum homines et vasalli nobis ex nunc tenentur promittere et iurare, quod post obitum dicte nostre Conthoralis parebunt nobis fideliter et intendunt. Primum tamen ante omnia supradicto Marchioni fidelitatem facient et iurabunt, quod post mortem nostram et Agnetis, Conthoralis nostre memorate, sibi tamquam vero Domino suo obediant in omnibus ac intendant; et interea in huius modi opidis et castris Dominus noster Rex et Marchio supradicti nos warandabunt, et contra quemlibet volentem impetere debent defendere cum effectu. Ad hoc, vt suis obsequiis reddamur promptiores, et ex factis nobis liberalitatibus sibi fortius teneamur, castra Betzendorp, Gardeleghe et Borchstal cum eorum pertinentiis, que nostra et fratrum nostrorum pecunia acquisiuimus, nobis idem Dominus noster Rex concessit possidenda pacifice ad tempora vite nostre; ita sane, quod post mortem nostram ab heredibus nostris, si quos habuerimus, vel a fratribus nostris, ea Dominus noster Rex et Marchio prefati pro summa quinque millium et quingentarum marcarum argenti, Stendalensis ponderis, redimere et absoluere libere valeant, quandocunque ipsis fuerit oportuum. Agnes vero Conthoralis nostra predicta, ex nunc resignabit opida et castra inferius annotata, videlicet Berlin, Spandowe, Middenwalde, Leuenwalde, Kopenick, Landesberg, territorium Teltowe et Rathenowe, cum hominibus, bonis, iuribus et pertinentiis suis, libere et spontanea voluntate, que illustris Princeps Rodolfvs, Dux Saxonie, et Dominus Hinricus, Magnopolensis Dominus, occupent et detineant occupata. Quecunque vero opidorum, castrorum siue bonorum prescriptorum, aut vasalli vel homines eorundem, facta resignatione reniterentur vel se opponerent Marchioni, contra hec vel illos nos eidem Marchioni adiutor erimus vsque in finem, cum omni posse et virtute nostra, auxilio, consilio et fauore: et ad id Dominus noster Rex et Marchio antedicti eorum auxilium asserant cum effectu; et quodcunque illorum opidorum vel castrorum nos maluerimus, Berlin excepto, nobis Marchio cum suis pertinentiis pro duobus milibus marcarum argenti Stendalensis ponderis obligabit, donec ipsum a nobis aut heredibus nostris vel fratribus pro eadem summa argenti redimat et absoluat; et in huiusmodi obligatione nos Dominus Rex et Marchio prefati manutenebunt, et medio tempore protegant et defendant. Insuper inter Dominum nostrum Regem et Marchionem predictos et nos taliter est conuentum, quod si nos quocunque bello facto ad obsequium et intuitum Marchionis contingeret triumphare contra hostes, et captiuos habere, quitquid per depecuniationem extorserimus ab eisdem, ad tantum nobis tantummodo retinebimus, ad quantum dampna in bello pertulimus, vel eciam sumptus fecimus; residuum vero restituemus Marchioni. Castrum quoque pertinens Marchie vel in ipsius Marchionis obsequio constitutum, si quod nos expugnare contingeret, mox ipsi trademus Marchioni, qui nobis de dampnis, que ea occasione sustinuimus, satisfaciet et expensis. Ceterum quotiens nos per eundem Marchionem ad Marchiam de nostra terra contigerit euocari, Marchio expensas nobis tenebitur ministrare; quod, si sponte non fecerit, nihilominus ad eas soluendas et refundendum dampna, si que forte incurreremus, obnoxius remanebit, et in casu presenti et in aliis casibus suprascriptis, vbi refu-

sio dampnorum et solutio debet fieri expensarum, illa fient effectualiter a die dampnorum perceptorum et expensarum factarum infra annum continue computandum, siue in equis, siue in captivis, vel in aliis quibuscunque constat dampna huiusmodi prouenisse. Si, quod absit, nos vel aliquem de nostris nobilibus in seruitio Domini nostri Regis vel ipsius Marchionis, vel ciuitatem aliquam seu munitionem nostram aut locum captiuari contingeret vel amitti, nullam prorsus compositionem inibunt Dominus Rex et Marchio sepedicti, nisi prius nos et nobiles nostri captiuati simus liberi, et ciuitatem, castra vel loca amissa rehabeamus cum effectum. Et in premissorum omnium testimonium et plenam roboris firmitatem sepe dictus Dominus noster Rex premissa in literis suis nobis datis conscribi et Sigillo Maiestatis sue Regie pro se ac ipso Marchione, sigillo carente ac se sub ipsius Domini Regis Sigillo obligante, fecit communi, pollicens in dictis suis literis, quod, quam primum dictus Marchio, primogenitus suus, Sigillum pro Marchionatu habuerit et eo vsus fuerit, sub eodem Sigillo premissa omnia ratificari et singula confirmari debeant. In euidentiam et memoriam plenam omnium prescriptorum sigillum nostrum presentibus duximus apponendum.

Datum et actum apud Nurenberghe, Anno Domini M°. CCC°. vicesimo tertio, quarto nonas May.

DCII. Ehevertrag zwischen dem Markgrafen Ludwig von Brandenburg und der Prinzessin Margarethe, Tochter des Königs Christof von Dänemark, vom 13ten Juli 1323.

Nos Christoforus, dei gratia Danorum Slauorumque Rex, Dux Estonie, notum facimus presentium inspectoribus vniuersis et recognoscimus publice per presentes, Quod nos omnes et singulos tractatus illos, per nobiles viros fredericum burggrauium de Nuremberg et burchardum comitem de mannisuel habitos, super matrimonio inter magnificum principem, dominum Ludouicum, marchionem brandenburgensem, primogenitum serenissimi domini Ludouici Romanorum Regis ex una, et Inclitam margaretham, filiam nostram karissimam, ex parte altera, legitime contrahendo, promptissime voluntatis animo feruentique desiderio ratos libenter habere volumus atque gratos, Nos ad omnium articulorum obseruantium specialiter expressorum in instrumento, super huiusmodi matrimonio copulando confecto, et spectabilis viri Johannis comitis holtzatie sigillo firmiter roborato, obligantes fideliter et presentibus literis asfringentes. Quas quidem literas in hujus euidens testimonium nostro sigillo iussimus roborari. Tenor autem memorati instrumenti per omnia de verbo ad verbum dignoscitur esse talis:

Omnibus presens scriptum intuentibus Christoforus, dei gratia Danorum Slauorumque rex, Dux estonie, salutem in domino sempiternam. Notum facimus uniuersis presentibus et futuris, quod inter senissimum principem dominum Ludouicum, regem Romanorum semper augustum, per nobiles dominos fridericum burggrauium de Nuremberg et burchardum comitem de Mannisuelde ex una parte, et nos, filium nostrum